

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXIII - N. 2

1991

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

DECEMBRI 1991

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis, Audientiae generalis occasione, die 2 octobris habita	135
Ex Allocutione Summi Pontificis ad Sodales Pontificii Consilii pro Familia, in ple- nario coetu coadunatos, coram admissos	136

ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium	140
--	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio I)	141
II. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio II)	166
III. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio III)	211
IV. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio IV)	244
V. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio V)	273

<i>Nota:</i> De itinere laboris Coetus studii « De Normis Generalibus » (Liber I CIC)	300
---	-----

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	302
--	-----

Notitiae	304
--------------------	-----

Index Rerum Generalis	305
---------------------------------	-----

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I

COETUS STUDIORUM « DE NORMIS GENERALIBUS »

Series Altera

Sessio I

(dd. 7-11 maii a. 1979 habita)

Coetus specialis constitutus ad animadversiones et suggestiones ab Episcopis et Universitatibus studiorum necnon Dicasteris Romanae Curiae propositas, quae novos canones de Normis Generalibus respiciunt, perpendendas, sessiones prima vice habuit diebus 7-11 maii 1979.

Partem in eo habuerunt Exc.mus D.nus Rosalius J. Castillo Lara, Commissionis Secretarius, qui praesidis munere functus est; Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, eiusdem Commissionis Secretarius Adiunctus, qui relatoris exercuit munus, et insuper Rev.mi tres et Ill.mi duo Consultores. In coetu adlecti quoque sunt Rev.mi PP. Olis Robleda et Xaverius Ochoa necnon Ill.mus D.nus Pius Fedele. Ipsi quoque Consultores in praesenti Relatione nuncupabuntur.

Quibusdam adunationibus interfuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Commissionis Praeses.

Acta redegit Rev.mus D.nus Marianus De Nicolò, Commissionis Adiutor a studiis.

Ineunte sessione, Exc.mus Commissionis Secretarius omnibus salutationes dicit et iam ex nunc gratias agit de laboribus peragendis. Rev.mus Secretarius Ad. seu Relator, praesentis sessionis argumentum introducit, incipiendo ab animadversionibus factis, et ab ipso systematice expositis, ad indicem generalem provisorium novi Codicis I.C.

Postquam Rev.mus primus Consultor animadvertisit perdifficile esse sci-re quasnam materias in Libro I inserendas, quia saepe criterium aptum non invenitur uti ex. gr. accidit pro titulo de personis physicis et iuridicis, Exc.mus Secretarius proponit ut praecise, propter observationem a Rev.mo primo Consultore factam, disceptatio hac de re ad finem textus recognitio-nis remittatur et omnes Consultores conveniunt cum propositione Exc.mi Secretarii.

Gressus fit ad quaestionem de titulo Codici praeponendo. Animadversionibus consideratis, omnes conveniunt ut remaneat uti est, scilicet « Codex Iuris Canonici ».

De introductione theologica quam aliqui ex consultatis expostulant, Consultores censem eam necessariam pro Codice non esse: praevideatur pro Lege Ecclesiae Fundamentalii.

Ad observationem prolatam ut LEF sit pars ipsius Codicis Em.mus Card. Praeses adnotat Joannem Paulum I necessitatem ipsius LEF non existimare atque preferre Codicis promulgationem cum insertione quorundam canonum LEF, dum, e contra, Ioanni Paulo II multum placere LEF, cuius promulgatio videtur praemittenda esse Codicis publicationi.

Ad necessitatem Codicis promulgationis quod attinet Em.mus Card. Praeses refert, pro notitia, se quaestionem iam Summo Pontifici proposuisse per memoriale, ne Commissionis labor exercitationem super Codicem fieret, attentis etiam aliquibus postulatis quarundam Episcoporum Conferentiarum denuo schemata Codicis revisendi.

Aliae propositiones generales a Relatore indicantur, quae in consultatione prolatae sunt ab aliquibus Conferentiis Episcoporum *de indole Codicis, de Codice particulari, de canonum numero, de maiore potestate Episcopi affirmanda, de ampliore convenientia Codicis cum Concilio Vaticano II.*

Relator indicat observationes generales quoad canones praeliminaires et praesertim disceptatio vertit ad propositionem utrum hi canones praeliminaires servandi sint.

Disceptatione peracta, omnes conveniunt ut serventur.

Gressus fit ad singulorum canonum considerationem.

Can. 1

Leges canonicae quae hoc Codice continentur unam Ecclesiam Latinam obligant.

Observationes consultationis suo loco habentur. Rev.mus secundus Consultor censet hic sermonem institui non debere de Orientalibus, quia vi ipsius legis et non vi huius canonis ipsi obligantur.

III.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « normae quae ... respiciunt », loco « Leges canonicae ... obligant ». Dum III.mus quintus Consultor proposuerat « canones huius Codicis ... respiciunt ».

Rev.mi quartus et primus Consultores propositioni III.mi tertii Consultoris adhaereunt. Exc.mus Secretarius praefert ut dicatur « Leges » loco « normae », quia « lex » erat Codicis primum verbum; cui replicat Rev.mus primus Consultor Codicem ipsum legem esse.

Suffragationi submittuntur varii modi propositi, nempe ut dicatur:
1) « Normae quae... » (primus et quintus Consultores); 2) « Hic Codex... » (nemo); 3) « Leges quae... » (nemo); « canones huius Codicis... » (quartus, tertius, secundus et sextus Consultores, Secretarius Ad., Secretarius).

Ergo textus est: « canones huius Codicis unam Ecclesiam latinam respi-
ciunt ».

Can. 2

Codex plerumque non definit ritus et caeremonias quae in actionibus liturgicis peragendis sunt servanda; quare omnes normae liturgicae hucusque in Ecclesia latina vigentes vim suam servant, nisi quatenus earum aliqua Codicis canonibus sit contraria.

Exc.mus Secretarius sublineat animadversiones restringi posse ad suppressionem primae vel secundae partis (a verbis « quare omnes... » usque in finem). Ipse Exc.mus Vir et Rev.mi secundus et quartus atque Ill.mus tertius Consultores censem secundam tantum partem servari posse, etsi aliter formulatam. Rev.mus primus Consultor tenet duas partes separari non posse. Rev.mus secundus Consultor observat se non videre quomodo hodie normas liturgicas per Summum Pontificem editas Codici contrarias esse posse. Exc.mus Secretarius respondet normam esse necessariam, quia in Ordinibus liturgicis multae sunt normae disciplinares vel quae mixtae sunt.

In fine disceptationis placet Exc.mo Secretario, Rev.mis Secretario Ad., primo, sexto et Ill.mo quinto Consultoribus ut textus remaneat prout iacet, salvis aliquibus emendationibus. Verbum « plerumque » remanet utpote cautelativum (Secretarius). Supprimitur « et caeremoniae », quia sufficit verbum « ritus ». Loco « peragendis » dicitur « celebrandis » (Secretarius Ad.). Demitur « omnes », quia sufficit « normae liturgicae ». Tollitur etiam « in Ecclesia latina ». Loco « servant » dicitur « retinent ».

Ergo textus sic sonat:

« Codex... ritus qui in actionibus liturgicis celebrandis sunt servandi;
quare normae liturgicae hucusque vigentes vim suam retinent, nisi
quatenus... ».

Can. 3

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum Nationibus aliisve societatis politicas conventiones non abrogant nec iis derogant; eaedem perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptionis minime obstantibus.

Consideratis animadversionibus, Ill.mus quintus Consultor proponit suppressionem secundae canonis partis, inde a verbis « eaedem perinde... ».

Rev.mi primus Consultor et Secretarius Ad., e contra, retinent melius esse ut secunda canonis pars servetur quaeque ibi dicuntur superflua non esse. Rev.mus quartus Consultor praefert suppressionem secundae canonis partis, etsi non de necessitate. Rev.mus secundus Consultor praferet ut tantummodo secunda canonis pars retineatur.

In fine disceptationis, omnes conveniunt ut textus remaneat prout iacet.

Can. 4

Iura quaesita, itemque privilegia quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revo- centur.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur sicuti in can.6: « Hoc Codice vim obtinente... », supprimendo « ad haec usque tempora », quia notio vaga est et indeterminata. Cui assentit Rev.mus quartus Consultor.

Iuxta Rev.mi primi Consultoris sententiam, regula praecipua est pro legislatore, quoniam Ipsi impeditur ut laedere possit iura quaesita.

Omnibus placet ut textus servetur uti est, exceptis Rev.mo secundo et Ill.mo quinto Consultoribus.

Can. 5

§ 1. Vigentes in praesens contra horum praescripta canonum consuetudines sive universales sive particulares, quae ipsis canonibus huius Codicis reprobantur, tanquam iuris corruptelae prorsus suppressae habeantur, nec in posterum reviviscere sinantur; ceterae quoque suppressae sunt, nisi expresse Codice aliud caveatur aut centenariae sint vel immemorabiles, quae quidem, si de iudicio Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis submoveri nequeunt, tolerari possunt.

§ 2. Consuetudines praeter ius hucusque vigentes, sive universales sive particulares servantur.

Ad § 1: Ill.mus septimus Consultor proponit ut verba « nec in posterum reviviscere sinantur » deleantur; et Exc.mus Secretarius item proponit de verbis « tamquam iuris corruptelae », cui assentit Rev.mus quartus Consultor petens etiam suppressionem verbi « prorsus ».

Rev.mus secundus Consultor quaerit curnam quaedam Universitas Pontificia totius canonis suppressionem proposuit. Respondit Rev.mus Relator suppressionem petitam esse ad possibilitatem admittendam consuetudinis particularis contra Codicem.

Suffragatione peracta, omnibus placet ut § 1 servetur cum emendationibus quae sequuntur: 1) supprimuntur verba « tanquam iuris corruptelae » (5 contra 4 = secundus, sextus et primus Consultores, Secretarius Ad.); 2) retinentur verba « nec in posterum reviviscere sinantur » (5 contra 4); 3) remanet verbum « prorsus » (4 contra 4: contrarii sunt ut remaneat tertius, quartus, secundus et quintus Consultores); 4) textus sit: « prorsus suppressae sunt » (loco « habeantur ») « nec in posterum ... suppressae habeantur, nisi ... ».

Ad § 2: Propositioni ab aliquibus factae dicendi « praeter legem », uti in can. 27, loco « praeter ius » adversatur a Rev.mo quarto Consultore, quatenus haec expressio amplior est quam prima, quia comprehendit etiam consuetudines particulares.

Res suffragationi submittitur, cuius exitus est paritas suffragiorum, ideoque praevalet textus uti iacet.

Can. 6

§ 1. Salvis praescriptis canonum Legis Ecclesiae Fundamentalis, hoc Codice vim obtinente, abrogata sunt:

1º omnes leges quae in Codice Iuris Canonici anno 1917 promulgato continentur;

2º aliae quoque normae, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis contrariae, nisi de particularibus aliud expresse caveatur;

3º leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in ipso hoc Codice recipiantur;

4º ceterae quoque normae disciplinares quae materias respiciunt quae hoc Codice ordinantur.

§ 2. Canones tamen huius Codicis, quatenus ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam canonicae traditionis habita.

Ad § 1: Omnes convenient — excepto Rev.mo primo Consultore — ut supprimantur verba « salvis praescriptis... LEF », uti quae situm est in observationibus.

Observatio consideratur qua canon videtur urgere principium CIC can. 6 et inducere posse relaxationem disciplinae, quia abrogat omnes

CIC leges. Proponitur ut addantur verba ipsius can. 6 « vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet », ad habendam etiam aliquam continuitatem in traditione.

Rev.mi Secretarius Ad., secundus et Ill.mus quintus Consultores additioni contrarii sunt, quia, aliquo modo, iam continetur in § 2.

Rev.mus quartus Consultor instat ut saltem substantia rerum remaneat, aliis adhibitis verbis.

Ill.mus septimus Consultor animadvertisit doctrinae esse continuitatem traditionis demonstrare, nobis pertinere tantum dicere CIC a. 1917 abrogatum esse.

In fine disceptationis convenitur ut textus remaneat prout iacet.

Ad n. 1: exceptis Rev.mo Secretario Ad. et Ill.mo tertio Consultore, aliis placet ut dicatur simpliciter « Codex Iuris Canonici anno 1917 promulgatus ».

Ad n. 2: placet omnibus uti est.

Ad n. 3: placet omnibus, Rev.mo primo Consultore excepto, qui adversatur verbo « particulares ».

Ad n. 4: Rev.mus primus Consultor petit ut hic numerus supprimatur, quia Codex est fons principalis, sed non unicus, iuris. Exc.mus Secretarius proponit ut servetur tantum abrogatio pro normis disciplinaribus universalibus.

Rev.mus primus Consultor proponit sequentem textum: « materias respicientes quae in hoc Codice ex integro ordinantur ».

Tamen suffragatione peracta (3 contra 6), additio verbi « ex integro » non admittitur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco « ex integro » dicatur « quatenus hoc Codice ordinatur », sed propositio reicitur quia formula sine additione amplior est.

Ad § 2: iam in Coetus sessionibus amplissimam habuit discussionem haec paragraphus; probatur uti est.

Can. 7

Nomine *Sedis Apostolicae* vel *Sanctae Sedis* in hoc Codice intelliguntur non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura aut sermonis contextu aliud appareat, Dicasteria aliaque Instituta per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

Canon placet, alio in loco tamen ponendus. Forsan in schemate De Populo Dei, ubi de Sancta Sede sermo instituitur.

[*Can. 7*]

Antequam ad Titulum de Fontibus iuris gressus fiet examini subicitur aliqua propositio, quae Coetus « de Processibus » nostro commendavit Coetui, cuius textus est:

« Quoties lex canonica ad ius civile remittit, eatenus ius civile servandum est quatenus neque contra ius divinum neque contra aequitatem canoniam contrarium sit et nisi aliter iure canonico caveatur ».

Rev.mus quartus et Ill.mus tertius Consultores petunt ut prius sermo de aequitate canonica et dein de iure divino instituatur.

Rev.mus primus Consultor difficultatem movet de aequitate canonica in primo textu proposita utpote criterium perdifficilis determinationis.

Rev.mus Secretarius Ad. praeferreret ut diceretur « lex divina » loco « ius divinum ».

Ill.mus tertius Consultor proponit ut, dempta referentia ad materiam contractus, textus servetur can. 1529 CIC, dicendo « ad quam ius canonicum remittit ».

Suffragatione peracta, maioritate suffragiorum remanet in textu mentio de iure divino loco legis divinae (5 contra 3); pariter, maioritate suffragiorum, cadit mentio de aequitate canonica (5 contra 2; 2 sese abstinent).

Igitur textus qui probatur sic sonat: « Leges civiles ad quas ius Ecclesiae remittit, in iure canonico iisdem cum effectibus serventur, quatenus iuri divino non sint contrariae et nisi aliud iure canonico caveatur ».

Omnes conveniunt ut canon collocetur loco can. 7 (qui alibi transfertur in schema De Populo Dei).

TITULUS I DE FONTIBUS IURIS

Observationibus consideratis, quae tamen maioritate suffragiorum (5 contra 4) non admittuntur, Ill.mus tertius Consultor proponit ut inscriptio tituli « De fontibus iuris » tollatur; adsunt enim aliae fontes formales iuris in aliis titulis qui sequuntur; praesertim ne praeiudicium afferatur materiae de actibus administrativis, quae primo in Codice inseritur. Ideoque proponit ut redditus fiat ad CIC, suppressis titulis « de fontibus iuris » et « de actibus administrativis ».

Rev.mus quartus Consultor propositioni Ill.mi tertii Consultoris assentit.

Rev.mus primus Consultor proponit ut titulus inscribatur « de normis iuridicis », quia fons formalis iuris non solum obiectivi datur sed etiam subiectivi, quapropter includenda esset post « de legibus » et « de consuetudine » etiam materia « de normis exsecutoriis », « de statutis et ordinibus ».

Ill.mus septimus Consultor tenet servari debere titulum « de fontibus iuris », additis tamen « de praeceptis et decretis generalibus, de statutis et ordinibus ».

Ill.mo quinto Consultori non placet ut in titulis affirmations praebantur technicae et praeferret ut terminologia constans sit cum illa CIC. Insuper notat magis curam habendam esse de Codicis effectibus in gubernatione quam de eius systematica.

Rev.mus secundus Consultor propositionibus Ill.morum tertii et quinti Consultorum assentit.

Rev.mo sexto Consultori praeplaceret ut singula recenseantur instituta sicuti in CIC, sine inscriptione tituli, quae magis sapit doctrinam.

Omnibus rite consideratis, instantibus etiam Exc.mo Secretario et Rev.mo primo Consultore, quaestio remittitur postquam recognitio textus canonum completa sit.

Caput I

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

Consultores censem observationes in consultatione prolatas accipiendas non esse, quia illae potius pertinent ad philosophiam iuris et non ad ipsum ius positivum. Legislatoris non est philosophiam iuris tradere, cuius notiones supponit non vero eas exponit.

Can. 8 (CIC 8)

Leges instituuntur, cum promulgantur.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit Codicem carere concepto formalis legis et proponit ut textus sequens inseratur: « Lex, quae quidem est norma generalis pro communitate legis recipienda capace a Legislatore competenti lata, instituitur cum promulgatur ».

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit tentamen definitionis propositionis tautologiam esse cum dicatur legem esse normam, quod idem est, a communitate legis recipienda capace. Insuper clarum est legislatorem capacem esse debere.

Exc.mus Secretarius tenet nullam definitionem per se dari debere in Codice.

Ill.mus tertius Consultor tenet necessarium esse etiam ut omnes legis distinctiones praeberi deberent.

Ill.mus septimus Consultor eandem sententiam ac Rev.mus Secretarius Ad. tenet, tamen nimis durus ei textus videtur eo vel magis cum agatur de textu in limine totius tractatus de legibus. Quapropter ei non displiceret si aliqua referentia ad communitatem recipientem et ad quam lex destinatur daretur. Et iuxta sententiam eiusdem Ill.mi Viri posset dici:

« Lex, quae quidem est ordinatio ad bonum commune alicui Communitatii a competenti legislatore data, instituitur cum promulgatur ».

Rev.mus quartus Consultor tenet nihil textui addendum esse cum omnia alia in doctrina lucide habeantur. Ita sentiunt Rev.mi sextus et secundus Consultores.

Rev.mus primus Consultor instat ut aliqua iuxta exposita addantur quia in iure canonico promulgatio semper notificationem officialem significat et est non parum differens a iuribus civilibus.

Ill.mus quintus Consultor praeferret ideam Rev.mi primi Consultoris, cum in iure canonico desit notio formalis legis et insuper instat ut servetur mentio de legislatore competenti, quia hoc modo possilitas praebetur acta impugnandi quae forte ab iis qui non sunt legislatores emissarum sunt.

Formula ab Ill.mo septimo Consultore proposita, suffragatione peracta, probata est a maiestate suffragiorum (4 contra 3), sed omnes consentiunt, exceptis Ill.mo tertio Consultore et Exc.mo Secretario, qui se abstinuit, ut loco « ordinatio » dicatur « norma ». Ideoque textus qui probatur sic sonat:

« Lex, quae quidem est norma generalis ad bonum commune alicui communitatii a competenti auctoritate data, instituitur cum promulgatur ».

Can. 9 (CIC 9)

§ 1. Leges ecclesiasticae universales promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus aliis promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior aut longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2. Textus legum, quantum fieri potest, ante earum promulgationem transmittetur omnibus Episcoporum Conferentiis et, si specialiter Instituta vitae consecratae respiciant, etiam supremis eorum Moderatoribus, ita ut

eodem ex tempore quo in Urbe etiam in variis territoriis leges, quando promulgatae sunt, divulgari valeant.

§ 3 (nova). Leges ab inferioribus legislatoribus latae promulgantur modo ab ipsis his legislatoribus determinato et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto.

Ad § 1: Disputatur utrum verbum « universales » manere debeat ad servandam necessitatem publicationis in AAS tantum pro legibus universalibus et disceptatione peracta omnibus placet — Ill.mo quinto Consultore excepto — ut textus servetur.

Rev.mus primus Consultor difficultatem movet de norma publicationis pro legibus particularibus a S. Sede latis.

Proponitur ab Ill.mis quinto et tertio Consultore suppressio verborum « nisi in casibus particularibus ... praescriptus » sed propositio non accipitur (7 contra 2).

Textus igitur § 1 probatur uti iacet.

Ad § 2: Omnes convenient ut deleatur, quia nullam continet normam et non est textus legislativus. Insuper agitur potius de divulgatione.

Ad § 3 (quae erit § 2): Consideratis etiam animadversionibus prolatis in consultatione et nota Rev.mi primi Consultoris ut norma detur etiam pro legibus particularibus a S. Sede latis, textus sic emendatur: loco « ab inferioribus legislatoribus latae » dicitur « leges particulares »; loco « ab ipsis his legislatoribus » dicitur « a legislatore » et in fine, loco « a die ab iisdem statuto » dicitur « a die promulgationis rite peractae, nisi quaedam vacatio expresse fuerit statuta ».

Ill.mus quintus Consultor instat pro necessitate aliquam vacationem, saltem unius mensis, ponendi et ut ante verbum « determinato » adiungatur « stabiliter ».

Suffragatione peracta, textus qui probatur maioritate suffragiorum (6 contra 2: Secretarius, Secretarius Ad.) est: « Leges particulares promulgantur modo a legislatore determinato et obligare incipiunt post mensem a die promulgationis, nisi alias terminus in ipsa lege statuatur ».

[*Can. 9 bis*]

Examini subicitur propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae alicuius can. 9 bis cuius textus propositus sic sonat: « A legislatore inferiori lex iuri superiori contraria ferri nequit ». Norma videtur necessaria, inspecto etiam can. 22.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet textus melius in canonibus de potestatis legislativae exercitio inseri posse.

Rev.mo quarto Consultori res non placet cum sit principium per se clarum et evidens.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur « lex inferior non potest superiori esse contraria » et heic esset locus.

Exc.mo Secretario et Rev.mo Secretario Ad. videtur potius de competentia legislatoris agi.

Tandem aliquando convenitur ut de hoc postea tractetur.

Can. 10 (CIC 10)

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

Placet uti est.

Can. 11 (CIC 11)

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inabilem esse personam expresse caveatur.

Textus est idem ac in Codice, suppresso tantum adverbio « aequivalenter ».

Omnibus placet ut loco « caveatur » dicatur « statuitur », uti quaesitum est in Animadversionibus. Aliae observationes non acceptantur.

Textus probatur uti est cum emendatione « statuitur » loco « caveatur ».

Can. 12 (CIC 12)

§ 1. Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt, quique sufficienti rationis usu gaudent, et, nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt.

§ 2. Baptizati qui Ecclesiis aut communitatibus ab Ecclesia catholica seiunctis adscripti sunt, ordinationibus mere ecclesiasticis directe obligari non intelliguntur, nisi exceptio statuatur.

Ad § 1: Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an necessaria sint verba « pro quibus latae sunt ». Rev.mus quartus Consultor tenet verba necessaria non esse et instat cum pro non catholicis habeatur § 2 ideoque § 1 tantum pro catholicis valet.

Exc.mus Secretarius animadvertisit canonem magnam habere extensio-nem.

Iuxta sententiam Rev.mi octavi Consultoris, verba inutilia vel saltem redundantia esse cum leges pro subiecto legis dantur et lex semper subiectum habet etsi non dicatur.

Rev.mus Secretarius Ad. suggestit ut formula a quadam S. Congrega-tione Curiae Romanae proposita adhibeatur, dempto verbo « soli ». Ponit insuper quaestionem de iis qui vitam christianam non gerunt vel fidem amiserunt si ligari debeant vel minus legibus mere ecclesiasticis.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit differentiam adesse inter eos qui alicui Ecclesiae vel sectae adhaeserunt et qui a fide defecerunt.

Exc.mus Secretarius notat illos qui ab Ecclesia catholica defecerunt delictum commisso ideoque ab observantia legum sublevandos non esse.

Rev.mus sextus Consultor tenet omnes baptizatos ligari legibus ecclesiasticis et lapsos dispensari non debere.

Rev.mus octavus Consultor tenet canonem, quoad substantiam, retineri posse, quia in § 1 principium datur generale, in § 2 exceptio statuitur in favorem illorum qui sunt bona fide ad aliquam Ecclesiam christianam transacti. Esset contrarius dispensationi pro lapsis et apostatis. Remanet difficultas pro iis qui mala fide defecerunt et ad aliam Ecclesiam vel com-munitatem transierunt.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit sermonem de apostatis vale-re praesertim in iure matrimoniali. In coetu de matrimonio, enim, statutum fuit eos qui a fide catholica defecerunt legibus matrimonialibus non teneri, ideoque Ipsi non videtur admittendum ut hic aliud criterium magis stric-tum ponatur. Identificari non potest defectio ab Ecclesia catholica cum amissione fidei et ideo cum delicto.

Iuxta sententiam Ill.morum tertii et quinti Consultorum textus posset remanere prout iacet.

Ill.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « leges applicantur » lo-co « legibus tenentur », vel « legibus obligantur », ne imago detur « penalizzante », vel « di comodo » iuris, dum revera iura donantur et dona (uti sacramenta). Proponit insuper ut alia adiungatur, in qua frequen-tiores casus recipiantur eorum qui sunt quidem baptizati sed absque fide et ulla practica religiosa vivunt.

Propositio Ill.mi septimi Consultoris ab Exc.mo Secretario et Rev.mo quarto Consultore adversatur quia problema non potest videri sub hac per-spectiva. Lex ipsa habet vim obligandi. Insuper qui defecerunt et alii Eccle-siae vel communitati non adhaeserunt vel eidem adhaeserunt per simpli-cem adhesionem formalem [lege: materialem], liberarentur ab omnibus

normis, dum revera manent in communione, etsi non plena, cum Ecclesia catholica.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit hic tangi naturam iuris canonici. Ius canonicum in Ecclesia suam functionem exercet pro baptizatis; baptismo homo constituitur in Ecclesia persona cum iuribus et officiis; Deus vocat homines in Ecclesia; Ecclesia non potest recedere ab hac positione quae non pendet a voluntate imperii sed a signo divino. Insuper adnotat idem Rev.mus Dominus profundam dari differentiam inter eum qui adscriptus est ad aliam Ecclesiam vel communitem et eum qui nullibi adscribitur et a fide defecerit sive mala sive bona fide. Actus formalis defectionis absque adhaesione ad aliam Ecclesiam vel communitem fere non existit. Et ceterum ex malitia haberi non potest commodum.

Tandem aliquando disceptatione peracta, textus qui probatur ab omnibus sic sonat: « Legibus mere ecclesiasticis tenentur baptizati in Ecclesia catholica vel in eandem recepti, quique sufficienti... expleverunt », prae oculis habitis observationibus a quadam S. Congregatione Curiae Romanae prolatis.

Ad § 2: Exc.mus Secretarius animadvertisit textum concordatum fuisse cum Dicasterio unioni Christianorum praeposito et similem dispositionem inveniri in can. 7 LEF.

Rev.mus Secretarius Ad. adnotat nostrum textum differre ab illo proposito a supradicta S. Congregatione Curiae Romanae tantum verbis « nisi exceptio statuatur ». Clausulam « nisi exceptio statuatur » revera necessariam non esse et correspondere hodiernae mentalitati Ecclesiae non ligandi non catholicos suis legibus positivis tenet secundus Consultor. Exc.mus Secretarius et Rev.mus quartus Consultor e contra tenent incisum de exceptione servari posse.

In fine disceptationis tres submittuntur propositiones ad suffragationem: 1) Utrum verba « nisi exceptio statuatur » manere debeant necne: exitus est 5 contra 4 (Secretarius Ad., octavus, primus et sextus Consultores), 1 abstinent (Secretarius). Ergo incisum deletur. 2) Loco « ordinationibus » dicatur « legibus », quod placet omnibus Consultoribus, uno excepto (Secretarius Ad.), dum se abstinet Secretarius. 3) Dicatur « non obligantur » loco « obligari non intelliguntur », quod placet maiori Consultorum parti (6).

Denique, instantे Rev.mo octavo Consultore, post « communibas » adiungitur « ecclesialibus » et, ne repetitio detur, loco « mere ecclesiasticis » dicitur « iisdem legibus ». Quapropter textus definitivus est:

« Baptizati qui Ecclesiis aut communitatibus ecclesialibus ab Ecclesia catholica seiunctis adscripti sunt, iisdem legibus directe non obligantur ».

Rev.mus Secretarius Ad. propositionem a quadam Episcoporum Conferentia factam illustrat adiungendi nempe aliam § de iis qui ab Ecclesia catholica defecerint, de qua iam aliquantis per superius disputatum fuit.

Exc.mus Secretarius, Rev.mi octavus Consultor et Secretarius Ad., et Ill.mus septimus Consultor tenent eam necessariam non esse.

Rev.mi secundus et quartus Consultores censem alicuius esse utilitatis saltem ad dubium vitandum et claritatem afferendam.

Disceptatione et suffragatione peractis, propositio admittitur per 6 suffragia contra 4.

Proponente Rev.mo secundo Consultore, adiungitur « firmo praescripto § 2 ». Quattuor Consultores dant suffragium positivum, 2 negativum et 4 sese abstinent.

Textus qui probatur est: « Firmo praescripto § 2 eaedem leges iis applicantur qui ab Ecclesia catholica defecerint, nisi aliud iure expresse caveatur ».

Ill.mus septimus Consultor proponit ut § 2 ponatur uti § 3 et viceversa, quia ordo rerum dicendarum magis logicus esset. Sed propositio ab aliis Consultoribus non accipitur.

Can. 13 (CIC 13)

§ 1. Legibus universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. A legibus autem universalibus, quae in certo territorio non videntur, eximuntur omnes qui in hoc territorio actu versantur.

§ 3. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

Consideratis animadversionibus prolatis in consultatione et propositione Rev.mi quarti Consultoris suppressi nempe § 3 utpote non necessariam, stante can. 14, § 2, n. 1, Consultores — excepto Rev.mo quarto Consultore — approbant textum prout iacet.

Can. 14 (CIC 14)

§ 1. Leges particulares non presumuntur personales, sed territoriales, nisi aliud constet.

§ 2. Peregrini:

1° non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2° neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, aut actuum sollemnia determinant, aut res immobiles in territorio sitas respiciunt.

§ 3. Vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

Animadversionibus disceptatis adiungendi praesertim § 2, 2° « particularibus » et iis quae de ordine publico adnotantur, maiori Consultorum parti placet ut textus remaneat prouti sonat.

Can. 15 (CIC 15)

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Ordinarii, nisi agatur de dispensatione quam suprema Ecclesiae auctoritas sibi aut alii auctoritati reservaverit.

Luxta sententiam Rev.mi quarti Consultoris, canon necessarius non est, sufficit enim ut referatur ad cann. 87 et 246 de Populo Dei ubi praecise specificatur possibilitas pro Ordinariis dispensandi. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hic agi de Ordinario, illic vero de Episcopis.

Ill.mo quinto Consultori placet animadversio cuiusdam Episcoporum Conferentiae de potestate qua Ordinarius gaudet dispensandi in dubio facti in casibus reservatis.

In fine disceptationis, proponente Rev.mo Secretario Ad., textus qui probatur est: « Leges ... Ordinarii, dummodo, si de dispensatione reservata agatur, concedi solet ab auctoritate cui reservatur ».

Can. 16 (CIC 16)

§ 1. Ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium, sicut et aliae causae quae imputabilitatem minuunt vel tollunt, licet a culpa excusare possint, earundem tamen effectum minime impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Ad § 1: Maior pars Consultorum (quintus, quartus, primus, septimus et tertius Consultores) praefert ut textus sumatur qui a quadam Conferentia Episcoporum proponitur: « Ignorantia vel error circa leges irritantes vel inhabilitantes earumdem effectum non impediunt, nisi aliud expresse statuatur ».

Ad § 2: Placet omnibus ut adverbium « generatim » supprimatur. Rev.mo secundo Consultori videtur forsan iam satis de hac materia provisum esse in iure processuali et poenali. Sed aliis omnibus Consultoribus placet servare et probare textum uti sonat.

Ad quaestionem quod attinet de ordine §§, ut scilicet § 2 fiat § 1 et e converso, Rev.mi octavus et secundus Consultores tenent melius esse ordinem invertire ita ut prius sermo sit de non praesumptione et dein de ignorantiae effectu. Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. iuxta cuius sententiam, ratione iuridici effectus, textus debet remanere prout iacet quia in § 1 agendum est de vi iuridica ipsius legis et in § 2 de praesumptione statuenda.

Sex Consultoribus contra 4 placet ut ordo schematis servetur.

Can. 17 (CIC 17)

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declareret tantum, promulgatione non eget et valet retrosum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et promulgari debet.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus lata est.

Placet § 1 uti est.

Ad § 2: Rev.mus quartus Consultor proponit ut prior pars omittatur et textus sit « Interpretatio authentica, legem coartans aut extendens, aut dubium explicans, promulgari debet nec retrotrahitur, nisi ad normam can. 10 ».

Ill.mus quintus Consultor propositioni a quadam Universitate facta adhaeret, quia oportet ut clare dicatur facultatem interpretandi non esse facultatem legem modificandi, quod est solius Legislatoris.

In fine disceptationis, proponente Rev.mo primo Consultore, sequens ab omnibus probatur textus: « Interpretatio ... ac lex ipsa et promulgari

debet; et si verba legis in se certa declareret tantum valet retrosum; si legem coarctet vel extendat aut dubium explicet, non retrotrahitur ».

Placet (6 contra 3) ut maneant verba « in se certa » dum non placet (6 contra 3) ut post « debet » adiungatur « ad normam can. 9, § 1 ».

Ad § 3: Sumitur propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae et textus qui probatur sic sonat: « Interpretatio autem per modum sententiae iudicialis aut actus administrativi in re peculiari ... pro quibus data est ».

Can. 18 (CIC 18)

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut post « locos » adiungatur « Codicis », uti habetur in animadversionibus. Rev.mus octavus Consultor praeferret adiungere « iuris ».

Eidem Rev.mo Consultori placeret ut post « legislatoris » adderentur verba « servata aequitate canonica », sive ratione psychologica, sive spiritu evangelico. Contradicunt Rev.mus primus Consultor, quia res per se patet et Ill.mus septimus Consultor, iuxta quem hic agitur tantum de interpretatione et non de lege ferenda: ideoque referentia ad aequitatem canonicanam ei non videtur ad rem.

Rev.mus quartus Consultor quaerit utrum verba « dubia et obscura » debeant utraque remanere an melius sit unum e duobus seligere. In fine omnes convenient ut textus probetur uti iacet.

Can. 19 (CIC 19)

Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Ill.mus tertius Consultor difficultatem movet circa principium hic statutum de legis poenalis interpretatione restrictiva utpote contraria traditioni canonicae itemque de interpretatione extensiva et analogica eiusdem legis poenalis quae contra traditionem et spiritum est iuris canonici, cum ipsa lex poenalis finem medicinalem et non punitivum habeat; consulere enim debet bono animarum; data est in animarum favorem.

Idem Ill.mus Vir postquam recoluit ea quae in commentario nostrae Commissionis Em.mus Cardinalis Praeses scripsit hac de re (cfr. *Communicationes* 10 [1978] 273-279), proponit ut, attenta ratione historiae et evolutionis iuris canonici, saltem verba « quae poenam statuunt » a canone expungantur.

Rev.mus primus Consultor contrarium sese declarat suppressioni propositae et Ill.mo septimo Consultori periculorum videtur modificationem introducere et textus male interpretaretur.

In fine disceptationis quaestio suffragio submittitur et textus probatur a maiestate uti est.

Ill.mus tertius Consultor petit ut ad acta referatur de eius contrarietate.

Can. 20 (CIC 20)

Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum, causa, nisi sit poenalis, dirimenda est secundum consuetudinem canonice inductam; quae si deficiat, norma causae applicanda sumatur attentis legibus latis in similibus, generalibus iuris canonici principiis cum aequitate servatis, iurisprudentia ecclesiastica, praesertim stylo et praxi Curiae Romanae, communi constantique doctorum sententia.

Animadversionibus consideratis et rationibus in disceptatione allatis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum: « Si certa ... sive particularis aut consuetudinis praescriptum ... dirimenda est attentis legibus ... generalibus iuris principiis ... ».

Ill.mo tertio Consultori, rationibus superius indicatis, non placent verba « nisi sit poenale » sed placet textus a Rev.mo Secretario Ad. propositus cum additione tamen « canonica » post « aequitate ».

Accipitur introductio verbi « canonica » et textus ab omnibus probatur.

Can. 21 (CIC 21)

Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiam si in casu peculiari periculum non adsit.

Iuxta sententiam Rev.mi Secretarii Ad. canon deleri potest utpote continens principium generale de se certum ideoque superfluum. Accipitur animadversio a quadam Episcoporum Conferentia facta, quae tenet canonem, licet legitimitas et opportunitas huius normae in dubium vocari non possint, sapere legalismum.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit difficile esse exempla pro explicatione huius canonis invenire; iuxta eius sententiam sensum habebat in theologia morali antiqua.

Placet omnibus ut canon supprimatur, excepto Rev.mo octavo Consultore, qui se abstinet a suffragio ferendo quia censet canonem erga obiectores sic dictos conscientiae inservire.

Can. 22 (CIC 22)

Lex posterior a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut si illi sit directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed, firmo praescripto can. 6, § 1, n. 2°, lex universalis minime derogat locorum iuri particulari nec personarum specialibus statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Animadversionibus consideratis de usu verborum « abrogare », « obrogare », « revocare », etc., Rev.mus quartus Consultor adnotat « revocare » verbum non esse technicum et dici debere « abrogat priorem aut illi derogat », cum revocatio tantum per leglatorem fieri possit (Secretarius Ad.). Rev.mus primus Consultor et Exc.mus Secretarius tenent terminologiam traditionalem hucusque adhibitam servandam esse.

Ill.mo septimo Consultori perplaceret verbo « derogare » [Codicem] non uti, quia nova lex est subiectum quod derogat, et censet verbum « abrogare » tantum adhibendum esse.

In fine disceptationis, considerata propositione a quadam Conferentia Episcopali [facta] simplificandi nempe textum ut conveniat etiam cum can. 3, in quo adhibita est formula « abrogare et derogare », placet omnibus ut dicatur « abrogat priorem aut eidem derogat ».

Proponente Ill.mo septimo Consultore supprimuntur per maioritatem suffragiorum (7 contra 2 - Secretarius Ad., octavus Consultor) verba « a competenti auctoritate lata ».

Supprimuntur etiam verba « firmo praescripto can. 6, § 1, n. 2 » quia facta non est mentio de lege poenali. In fine delentur etiam verba « locorum » et « personarum ».

Can. 23 (CIC 23)

In dubio revocatio legis praeexistens non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

Textus placet omnibus et nulla datur animadversio de substantia et stylo canonis sed tantum de ordine systematico, ergo disceptatio de hoc ad aliud tempus remittitur.

Ita huius sessionis labori finis imponitur. Proxima sessio erit diebus 22-27 octobris c.a. et opus non erit mittere novas litteras convocationis. Exc.mus Secretarius omnibus praesentibus gratias quam plurimas ex corde rependit et preces de more funduntur.

Romae, die 11 maii 1979.

M. DE NICOLÒ
Adiutor a Studiis

CANONES APPROBATI
CANONES PRAELIMINARES

Can. 1

Canones huius Codicis unam Ecclesiam latinam respiciunt.

Can. 2

Codex plerumque non definit ritus qui in actionibus liturgicis celebrandis sunt servandi; quare normae liturgicae hucusque vigentes vim suam retinent, nisi quatenus earum aliqua Codicis canonibus sit contraria.

Can. 3

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum Nationibus aliisve societatibus politicis conventiones non abrogant nec iis derogant; eaedem perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

Can. 4

Iura quaesita, itemque privilegia quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

Can. 5

§ 1. Vigentes in praesens contra horum praescripta canonum consuetudines sive universales sive particulares, quae ipsis canonibus huius Codicis reprobantur prorsus suppressae sunt, nec in posterum reviviscere sinantur; ceterae quoque suppressae habeantur, nisi expresse Codice aliud caveatur aut centenariae sint vel immemorabiles, quae quidem, si de iudicio Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis submoveri nequeunt, tolerari possunt.

§ 2. Consuetudines praeter ius hucusque vigentes, sive universales sive particulares servantur.

Can. 6

§ 1. Hoc Codice vim obtinente, abrogata sunt:

1º Codex Iuris Canonici anno 1917 promulgatus;

2º aliae quoque normae, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis contrariae, nisi de particularibus aliud expresse caveatur;

3º leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in ipso hoc Codice recipiantur;

4º ceterae quoque normae disciplinares universales materiam respicientes quae hoc Codice ordinatur.

§ 2. canones tamen huius Codicis, quatenus ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam canonicae traditionis habita.

Can. 7

Leges civiles ad quas ius Ecclesiae remittit, in iure canonico iisdem cum effectibus serventur, quatenus iuri divino non sint contrariae et nisi aliud iure canonico caveatur.

TITULUS I
DE FONTIBUS IURIS

Caput I
DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

Can. 8

Lex, quae quidem est norma generalis ad bonum commune alicui communitati a competenti auctoritate data, instituitur cum promulgatur.

Can. 9 (CIC 9)

§ 1. Leges ecclesiasticae universales promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alias promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior aut longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2 (nova). Leges particulares promulgantur modo a legislatore determinato et obligare incipiunt post mensem a die promulgationis, nisi alias terminus in ipsa lege statuatur.

Can. 10 (CIC 10)

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

Can. 11 (CIC 11)

Irritantes aut inhabitantes eae tantum leges habenda sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur.

Can. 12 (CIC 12)

§ 1. Legibus mere ecclesiasticis tenentur baptizati in Ecclesia catholica vel in eandem recepti, quique sufficienti rationis usu gaudent, et, nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt.

§ 2. Baptizati qui Ecclesiis aut communitatibus ecclesialibus ab Ecclesia catholica seiunctis adscripti sunt, iisdem legibus directe non obligantur.

§ 3. Fimo praescripto 2, eaedem leges iis applicantur qui ab Ecclesia catholica defecerint, nisi aliud iure expresse caveatur.

Can. 13 (CIC 13)

§ 1. Legibus universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. A legibus autem universalibus, quae in certo territorio non vigent, eximuntur omnes qui in hoc territorio actu versantur.

§ 3. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, fimo praescripto can. 14.

Can. 14 (CIC 14)

§ 1. Leges particulares non presumuntur personales, sed territoriales, nisi aliud constet.

§ 2. Peregrini:

1° non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2° neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, aut actuum sollemnia determinant, aut res immobiles in territorio sitas respiciunt.

§ 3. Vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

Can. 15 (CIC 15)

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Ordinarii, dummodo, si agatur de dispensatione reservata, concedi solet ab auctoritate cui reservatur.

Can. 16 (CIC 16)

§ 1. Ignorantia vel error circa leges irritantes vel inhabilitantes earundem effectum non impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Can. 17 (CIC 17)

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa et promulgari debet et si verba legis in se certa declarat tantum, valet retrosum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicit, non retrotrahitur.

§ 3. Interpretatio autem per modum sententiae iudicialis aut actus administrativi in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

Can. 18 (CIC 18)

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Can. 19 (CIC 19)

Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Can. 20 (CIC 20)

Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis aut consuetudinis praescriptum, causa, nisi sit poenalis, dirimenda est attentis legibus latis in similibus, generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis, iurisprudentia ecclesiastica, praesertim stylo et praxi Curiae Romanae, communi constantique doctorum sententia.

Can. 21 (CIC 21) (Supprimitur).

Can. 22 (CIC 22)

Lex posterior abrogat priorem aut eidem derogat, si id expresse edicat, aut si illi sit directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed lex universalis minime derogat iuri particulari nec specialibus statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Can. 23 (CIC 23)

In dubio revocatio legis praeeexistens non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

